Fragmentarium

offerendus sit et quomodo formandus. Libel-
lus conventionalis est scriptura continens
personam iudicis et nomen rei et nomen
actoris et rem que petit et causam peten-
di et formandus est sic. Domine
iudex ego T. civis Spir. credidi domino
B. militi de tali loco .xx. marcas puri
argenti quas ipse solvere michi promi-
sit in pascha proximo transacto quod
quidem adhuc minime fecit. peto quatenus
ipsum ad predicte pecunie solutionem
compellatis. hec peto salvo iuris
beneficio addendi. minuendi. decla-
randi. Protestor et expensas michi
salvas fore factas tam in lite quam
extra litem. et adhuc faciendas. Et
nota quod dicitur libellus conventiona-
lis quia per eum reus convenitur ab
actore et debet hunc libellum actor
offerre iudici et iudex offert ipsum
reo quo oblato iudex debet dare
inducias deliberandi in quibus deli-
beret an velit contendere an liti
cedere. Et nota quod libellus non debet
esse obscurus. Si autem obscurus
fuerit reus petat sibi declarari. verbi
gratia. ut si petat actor ab eo xx. li-
bras reus petat sibi declarari cu-
ius monete sint. Item si petat actor
vineam vel agrum reus petat sibi de-
clarari quis sit ager ille et ubi sit.
Item proprie notandum est quod causa peten-
di .i. quare rem talem petat actor
exprimenda est quod ideo dictum est. quia
quandocumque rem petat actor a reo ipse
debet exprimere causam quare petat verbi gratia

Domine iudex ego H. de tali loco
propono coram vobis quod B. miles
talis quendam agrum in tali loco situm
occupat violenter qui iure here-
ditario vel titulo emptionis ad
me spectat quare peto quatenus prefatum
B. ad restitutionem eiusdem agri cum
fructibus eiusdem inde perceptis com-
pellatis. Ecce quomodo in hoc libel-
lo exprimitur causa petendi et hoc
ubi dicitur qui iure hereditario vel
titulo emptionis ad me spectat. Et
hec de libello conventionali et de in-
duciis deliberationis breviter
dicta sufficiant

[F]initis induciis deliberandi. post-
ea actor et reus ad iudicium redeunt
et reus respondit libello dicens
sic Domine iudex hoc quod actor
petit a me aut proponit contra me ne-
go ita esse vel confiteor ita esse. Et nota
quod huiusmodi affirmatio. aut nega-
tio rei dicitur litis contestatio. Unde
sic diffinitur. Litis contestatio est prin-
cipalis negotii .i. cause apud suum
iudicem hinc inde facta narratio
fit .n. litis contestatio per narrationem
actoris positam et per contradictionem rei
oppositam ut si dicat actor rei
ad reum. tu debes michi x. libras
et reus dicat non debeo ecce per hec
verba lis est contestata. Et nota
quod omnes dilatorie exceptiones de
quibus supra dictum est et proprie
iudicis recusatio debet proponi a reo
ante litis contestationem quia post litem

Fragm. Lat. 119

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 119, 1r – Johannes Andreae, Summula de processu judicii
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-qe5f/223/2948)